

## 60.

*Phaseolus bipunctatus* mihi notus non est . forte quum Phaseoli nostri plures in Hybernaculo fructus non perficiant ob Acaros telarios , qui eos devastant.

*Scirpus cephalotes* non est , sed est *Schoenus glomeratus* Spec. plant. (editionis primae) p. 52. quem perperam conjunxi in secunda editione cum Schoeno colorato , quem jam accepi.

*Scorzonera villosa* est omnino species naturalis *Geropogonis* , quod habui hoc anno , neque semina perfecit , sed periit dein. Anne velles vocare Geropogon calyculatus.

Miror quod *Schoenus glomeratus* tam altus apud Te crescat , mihi tantum palmaris nascitur.

Habes sine dubio in hybernaculo tuo Acharos telarios ; me doceas itaque quomodo expellantur.

*Scirpus cephalotes* Tuus aliud nomen triviale quam *glomeratus* habebit , cum *Scirpus glomeratus* in spec. pl. secundae editionis receptus n. 11. diversissimus est.

C. Linné.

(Epistola sine die . Manu Jacquinii adscriptum : R. 25. Martii 1772.)

## 61.

*Solanum* caule subinermi fruticoso , foliis ovato-oblongis sinuato-repandis , scabris Mant. 205. *Solanum bonariense* arborescens papas floribus Dill. elth. 364. t. 272. f. 351. erit procul dubio Tua t. 113. In mea corollae majores extus tomentosi. Baccae vix Sorbi aucupariae majores. Dilleniana planta videtur mihi nata sub dio . ejus multi flores et fructus non sunt in mea (in Caldario crescens) sed pauci ut in Tua.

*Phaseolus vexillatus* omnino meus est.

*Seseli pumilum* pulcherrime adumbrasti. An eam refe-